

1.
2.
3.
4.



1758.

1. Buder, Christianus Godefrid, Fac. jur. protecamus: Programma: "De precibus pro imperatore fuis"
2. Buder, Christianus Godefrid, Fac. jur. protecamus: "De vicariatu Imperiali comprimis Lubecensi in persequendis et puniendis violatoribus pacis publicae panca praefatus, Christiani Nicolai Carstens solennia inauguralia indidit."
3. Buderus, Christianus Godefrid, Fac. jur. protecamus: De dominio directo sanctorum Lubecensium ecclesiarum in Germania, sub quo argumenta et solennia inaug. Joannis Henrici Heuss... in Lat.
54^{it} Buderus, Christianus Godefrid: Florum sparsio ad putura privilegiorum Lubecensium capita 2 Saemph.
54^{it} Buderus, Christianus Godefrid: De resignatione domini in feudis.

1758.

6. Emminghaus, Theodor Georg : De molendinorum senectute
- - - simulque praedictiones suas . . . indicat
7. Haevesche, Benjamin : De nobilitate urbium Ger-
maniae civibus pactitio . 2 Exempl.
8. Heuffeld, Jo. Aug. Fruct. jur. Secan : Programma :
De successione ex jure communione³ Christophori
Ludovici Willeburgii . . . dissertationi inang. praee-
missum.
9. Heuffeld, Jo. Augustus : De differentiis quibusdam
inter S. R. I. principes et comites.
10. Moedert, Joannes Nicolaus : De jure praecedendi
ex jure gentium 2 Exempl.
11. Neuber, Joannes Gottfrid : Desplendide apud
Romanae nationem in litteras promovendis, ea
epistolis C. Plinii Caec. . . . pauca praefatus,

Carolo Gerardo de Vechhoff fausta quaevis ausp.
tat.

12. Schlichter, Augustinus Fridericus: De institutione
heredis in codicillis facta

13. Schmidtus, Dr. Ludovicus: De prescriptione feudali
acquisitiva.

14. Schmidtus, Paulus Wilhelmus: De controversiis quibus
dam circa recessum executionis Ao. 1689 Norimbergae
~~conclusum~~ conclusum eoque consistencia cum
ipso instrum. pacis Westphal.

15. Walchius, Carolus Fridericus: De usufructu nominis
suisimulque Disputationes de variis juris disciplinis
indicit.

16. Walchius, Carolus Fridericus: De instrumentorum post
juratam eorum diffensionem fide

1758.

17. Waldriemus, Jo. Gallus: De philosophia morali
ejus principia et partibus
18. Wunderlich, Joam: De remediis, quae pro servandis
recuperandive impensis feudatibus competunt.
Programma, quod munus professoris sibi deman-
datum indicat
19. Wunderlich, Joam: De remediis, quae pro ser-
vandis recuperandive impensis a bonae fidei
possessore in rem alienam factis competunt.
1 exempl.
20. Zitz, Pentus Vellef: De jure principis in erro-
res in ecclesia

1758, 1
110

FACULTATIS IVRIDICAE
PRODECANVS
CHRISTIANVS GOTTLIEB
B V D E R D.


PRAENOBILISSIMI CANDIDATI
EMANVELIS BIERMANNI
AVGVSTANI

SOLENNIA INAVGVRALIA
INDICIT

AD DIEM XXVIII OCTOBRIS ANNI S, MDCCLVIII.
PAVCA PRAEFATVS

DE
PRECIBVS PRO IMPERATORE
F V S I S.

I E N A E,
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



DE
IVRE PRECVM PRO IMPERATORE
ROMAE, ET ALIBI FACIENDARVM.

§. I.



Quum Iuris Publici Romano - Germanici doctores, *Iura et Praerogativas Imp. Augustorum* longa serie recentent, inter eas *Preces* quoque connumerant, quae in Ecclesia Romana aliisque, etiam Euangelicis, religiose fiunt, recte annotarunt.*

§. II.

Obtinuit hoc pium Officium ab antiquissimis sanctioris coetus christiani temporibus; congruum sanctissimis PAVLLI Apostoli monitis priore ad Timotheum Epistola c.

II.

* illustris Vir IO. IACOBVS MORSERVS *GrundRiss der heutigen Staats-Verfassung des Teutschen Reichs L. III. c. IV. §. 3. p. 127.*

Edit. Septimae, ubi: Für ihne wird in den Kirchen gebetet und gesungen. Idem scribunt plerique Iuris Publici interpretes.





II. atque a Sanctis Ecclesiae Patribus* enixe commendatur. Sacrificamus scribit TERTULLIANVS ad Scapulam c. II. *pro salute Imperatoris sed Deo et ipsius, sed quo modo praecipit DEVS, pura prece.* In CONCILIO POTRO RHEMENSIS c. 40. decretum: *Vt pro Domino Imperatore, suaque prole ORATIONES et oblationes super has, quae haecenus pro ipso Deo omnipotenti oblatae sunt, augeantur.*

§. III.

Obtinuit itaque in Imperii Occidentalis sede aeterna Vrbe Roma huiusque Ecclesia, vt Dominos suos et Aduocatos cum Imperio Romano, precibus suis Statori Imperiorum summo, religiosis precibus, laudabiliter commendarent.

§. IV.

Non possunt igitur eruditi Viri, in tanta historiarum ecclesiasticarum & profanarum luce, inque tanto adparatu egregiorum monumentorum, quae doctissimi homines Romano - Pontificiis sacris additi, in lucem prodixerunt, satis mirari, quibus rationibus permotus Reverendus et doctissimus Pater VALERIANVS ZELLNER Ord. Eremit. S. P. Augustini, Sacrae Scripturae et Historiarum Lector Ordinarius in Libro *Monachii* praeterito anno 1757. f. edito, quem inscripsit: *Historiae Ecclesiasticae Imperiali mixtae Dissertationem primam de Octauo Seculo continentem in se quaestiones historicas de Iure Regio, item varia dissidia inter Sacerdotium et Imperium aliasque Controversias ecclesiasticas in Germania insignes, dum Nouationes (Neuerungen) quasdam hoc Octauo Seculo introductas indicare voluit, has inter retulerit quae Hadriani Pontificis Romani laudabilem sane ordinatio-*

A 2

nem

* quorum sententias studiose diligenterque conduxerunt IOANNES STEPHANVS DVRETIVS Senatus Tholosani primus Praefes de ritibus Ecclesiae Catholicae Libro III. c. XXXIII. p.

425. n. 17. Edit. Romanae anni 1591. in *Typographia Vaticana* 8. formis expressae. Addatur IOANNES BONA Presbyter Cardinalis doctissimus *Rerum Liturgicarum* Libr. II. c. XI.



nem,* de *Precibus pro Imperatore Romano* sive *Francorum, flexis Genibus* fundendis. Relata est pia haec et monitis *Paullinis* ac *Patrum veteris Ecclesiae* consonans ritus religiosi institutio in primum *ORDINEM ROMANVM*,* non multo post *Hadriani* mortem tempore, conditum, ubi *Num. XXIV.* agitur de *Missa*, quam initio *Quadragesimae Pontifex Romanus* celebrat hac caerimonia: *Veniens Pontifex ascendit ad Altare*, dicit: *Oremus! Diaconus* flectamus *Genua, et leuate* etc. Similj modo agitur secunda feria et *Sabbato* per totam *Quadragesimam*. Nam *Sabbato* *TEMPORE* *Adriani* institutum est, vt flecteretur pro *CAROLO REGE, (M)* antea vero *NON* *EVIT* *CONSVETVDO*.** *Num. vero XXVIII.* *Ordinis Romani* haec leguntur: *Feria IV. quae est pridie in Coena Domini hora tertia Pontifex cum Clero et ordine Romano procedit ad Altare in Ecclesia Maiori et dicit Orationes solennes, hoc ordine etc. Dicit ORATIONEM pro REGE Francorum, (qui Hadriano Pontifice Carolus M. erat,) deinde reliquas per ordinem, tantum modo pro se intermittit.*

§. V.

Verò simile videtur Reverendum Patrem *ZENNERVM*, hanc quam appellare ipsi placuit *Nouitatem* inter *suas* adsumpsisse sine accuratiori inuestigatione originis *PRECVM* *PRO* *IMPP. AVGG.* vel ex ipso *Ordine Romano*, vel ex *FRANCISCI PAPI Breuiario Pontificum Romanorum*,*** vel alio recentiore *Vitarum Pontificiarum* scriptore, nec sollicite fati peruestigasse vetustiora monimenta interque haec *Sacramentaria Ecclesiae Romanae*, et *Libros Missarum*, similesque.

§. VI.

Quod si enim, *Vota* pro *Impp. Augg.* apud *Romanos*, gentilium sacris addictos, frequentissime nuncupata, plane non

* quem in lucem produxit *IOAN- NES MABILLONIVS Musci Italici Tomo Secundo post Com- mentarium.*

** *Euolue ordinem Romanum* Edit. *MABILLONIANAE* §. 24. col- lato §. 28.

*** *Tom. I. p. 593,*



non attendisset,* peruestigandi tamen erant eruditus oculis CONSTANTINI PORPHYROGENITI Imperatoris Constantinopolitani, Libri Duo de *Cerimoniis Aulae Byzantinae*,** in quibus cum aulicis, etiam copiose *ecclesiasticae Cerimoniae*, vota, PRECES, et quae his similia sunt, recensentur.

§. VII.

Forstian autem non multum tribuit auctoritatis deuotioni Patriarchae et Cleri Constantinopolitani, nempe secundae Romae, antiquae Romae Pontificibus addictissimus, uti omnis doctissimi Viri Dissertatio condocet, qua consutat saepius ab eruditissimis hominibus etiam Romanae Ecclesiae sociis concessa adgnitaque dogmata, quando de *Iure Regio commentatur*. *Librum* tamen *Diurnum Pontificum Romanorum*, excutere debuisset Curiae equidem Romanae minime gratum, ideoque quum LVCAS HOLSTENIVS Romae anno 1660. eius Editionem ex Codice Vaticano parasset summa cura, non sine gemitu IOANNIS LAVNOII cordatissimi Theologi Sorbonici, aliorumque, suppressum, quem tamen ex antiquissimo Codice MSCto in lucem edidit.*** Notasque et Dissertationes addidit IOANNES GARNERIUS et Societate Iesu Presbyter vir eruditissimus. Non fuit ignotus egregius Liber *Iuoni Cavaotensi*, *Gratiano*, *Anselmo Lucensi* aliisque monumentorum Ecclesiasticae antiquitatis collecto-ribus, conscriptusque esse videtur eo temporis intervallo, quod ab anno 567. ad annum 752. effluxit, *Hadriani* ergo Pontificis tempora antecedit, PRECESQUE pro Imp. in *Ecclesia Romana* factas, commemorat, ut adeo *Hadrianus* Papa nouitatis accusari vix posse mihi videatur.

A 3

§. VIII.

* quae recitant Rerum Romanarum et Antiquitatum scriptores, qualia pererudite collegit illustris Vir GEORGIUS LVDOVICVS BOEHMERVS Programme auspicali cultissimo de *Aris pro salute Imp. in Iu et Redi. tu*, *Gotttingae* 1740. 4. edito.

** quae splendidissimo habitu primum editi Graece cum Latina interpretatione et Commentariis, curantibus Viris Clarissimis IOA. HENR. LEICHTIO et IOA. IACOBO REISKIO, *Lipsiae* 1751. f. duobus Tomis. *** *Parisis* 1680. 4.



§. VIII.

Enimvero, inter alia preciosa *Romanæ Ecclesiæ* ecclesiastica monumenta *Indiculum Pontificis*, ut inscriptio est, siue *Professiones Fidei Pontificum Romanorum* recitat, in quarum *Tertia** post *Ordinationem*, Pontifex dilectissimos et dulcissimos *Ecclesiæ Romanæ Filios* cohortatur ad *PRECES* pro *IMPERATORE* fundendas, hisce verbis: *His igitur praelibatis oportet nos dilectissimi, ad hoc sacratissimum et venerabile beati Apostolorum Principis corpus, fixis genibus Dominum Iesum Christum impensus exorare, ut fidelissimum christianissimum Romanum a DEO constitutum Principem,** cum vita et victoria, religionis cultu pollentem longævæ ætatis curricula in suo sancto timore conservare et custodire, longe lateque regnantem pacifice, dignetur, una cum fidelissimis atque fortissimis Romanæ Reipublicæ Italianæ exercitiis, praevenantibus beatissimis Apostolorum Principibus, subiugare et prosternere, non mucrone ferri, sed prudentiæ consiliis, et absque dispendio florentissimi exercitus, sua virtute dignetur: et de eorum feritate tam in regiam urbem, quam circumquaque aduersantium, laudabiles decurrant triumphi, ut omnis sexus et dignitas de eiusmodi victoriis exultantes, uno ore DEO nostro et Domino Iesu Christo dignas inuitentur laudes et gratias persolvere, cum quo est DEO Pari, et Spiritui Sancto gloria per omnia secula seculorum Amen. Ita ante Hadriani I. tempora bene precati Imperatori Domino tum suo Pontifices Romani.*

§. IX.

Licet autem scriptor *Ordinis Romani*, cuius auctoritate *Novitatem Precum* pro *Impp.* contegere voluit doctissimus *ZENNERVS*, comprobante *IO ANNE MABILLONIO**** quoque

* p. 51. Edit. *Garnerianæ*.

** intelligit Pontifex *Constantinum Pogonatum*, in cuius iura *Romæ* successit *Carolus M.* Re-nouator Imperii, adgnoscente

Eundem sine *novitatis* vitio *Hadriano Papa.* Pogonatus autem anno 685. vita functus.

*** *Commentario* eruditissimo ad *Ordinem Romanum*, p. VIII.



que sit non nouitius testis eiusque antiquitatem plerique referunt ad Seculum octauum, auctoritas tam eius ad conuellenda ea quae Seculo septimo, facta sunt, vt *Liber Diurnus* comprobat, vix valebit, probe considerantibus horum temporum Episcopos Romanos Impp. vtriusque Impetii Orientis et Occidentis tanquam *Dominos suos* coluisse, vti solidissime comprobauit B. SALOMO ERNESTVS CYPRIANVS.* Sane *Hadrianus* Papa I. in *Epistolis* suis ad *Carolum M.* scriptis, non raro mentionem facit *PRECVM* pro ipso in Ecclesia Romana factarum.** Is ipse *Carolum M.* Imperatorem Restitutorem Romani Imperii, postquam ei in solempni Proclamatione *Vitam et Victoriam!* piissimis Votis esset adprecatus, summam deuotionem comprobauit, eumque *adorauit*, i. e. magna submissione honorem exhibuit, vti B. CYPRIANVS Libro iam excitato annotauit.

§. X.

Qui *Hadriano I.* successerunt Praefules Romani hosque inter eiusdem nominis *Hadrianus II.* se omnesque Clericos ad fundendas pro Imperatoribus Romanis pias *PRECES*, obligatum esse adgnouit. Quam pietatem ANASTASIVS BIBLI-

* in libro solidissimae doctrinae, inscripto: *überzeugende Beleb- rung vom Ursprung und Wachsthum des Pabstthums*, Capite cum primis XI.

** Ex *Epistolis Hadriani* Papae I. ad *Carolum M.* scriptis, quae ex *Codice Carolino* edidit plene PETERVS LAMBEIVS quaeque Tomi III. Parte II. *Corporis Mediolanensis MYRATORIANI*, extant, pietas *Hadriani* in *Carolum* satis patet et *VOTA PRECE* sive pro eo factas in Ecclesia Romana, colligi possunt. Quam deuotionem et aliae huius Co-

dicis Pontificum *Epistolae* doceant. *Epistola* enim ordine XLIX. p. 196. pro benigna susceptione Nunciorum suorum *Preces* his verbis promittit: *vt dum ad nos reuersi fuerint ante Confessionem ipsius DEI Apostoli* (i. e. S. Petri) *cum omnibus Episcopis et Sacerdotibus, atque cuncto Clero, Senatu et vniuerso nostro Populo pro vestra sospitate et longaeuitate et exaltatione Regni vestri Domino fundere valeamus PRECES.* Compara *Epistolam* *Adriani II.* et alias.



LIO THECARIUS * sollicitè obseruauit, quum enim narra-
set: Pontificem refectionis causâ solito plures Clericos vo-
casse, addit: *Quorum omnium manibus per semet humiliter*
equam fudit, cibos apposuit, pocula administrauit, et quod nul-
lus Pontificum ante se fecisse noverat, ut eo promptiores ad
prandium redderet, cum illis discubuit, canticis spiritualibus ibi
per totum spatium iugiter laudes concrepantibus. „Dum sur-
„rexisset ab epulis in faciem suam coram omnibus procidit
„dicens: Rogo vos, et suppliciter obsecro, patres, fratres
„et filii, ut fundatis Domino pro sancta Catholica Ecclesia
„sua preces, ORETIS PRO CHRISTIANISSIMO FILIO NO-
„STRO HLYDOWICO IMPERATORE AVGVSTO, ut ei
„Deus omnipotens ad nostram perpetuam Pacem Sarrace-
„norum faciat subditam nationem. Oretis etiam pro me
„fragili et imbecilli, ut det mihi Christus virtutem, tantam
„Ecclesiae suae multitudinem in sanctitate et iustitia re-
„gendi etc.

§. XI.

His laudabilibus Pontificum Romanorum antiquiorum
et Ecclesiae Romanae nec non Byzantinae, grauibusque ra-
tionibus in Ecclesia Romana permoti *Libri Sacramentorum*
huius coetus conditores, varias pro Regibus ac IMPERA-
TORIBVS ROMANIS condiderunt PRECVM formulas, quas
ex illa Editione decerpemus, quam IOSEPHVS MARIA
THOMASIVS Congregationis Clericorum regularium Pres-
byter, vir, laudatore IUSTO FONTANINO in *Antiquitatibus*
Hortae p. 216. ad Ecclesiasticos ritus explicandos maxime na-
tus aptusque procurauit. ** *Precum* harum et *Votorum* Sa-
cramentarium Romanae Ecclesiae exhibemus quasdam for-
mulas, easdemque inter Missarum Solemnia pronunciatas. ***

DEVS

* de *Vitis Pontificum Romanorum*,
Editionis splendidissimae FRAN-
CISCI BLANCHINI Capellae
Pontificiae SubDiaconi, quae
Romae 1718. F. prodit *Tomo Pri-*
mo, f. 428.

** typis impressi hi *Codices Sacra-*
mentorum nonaginta annis ve-
tustiores, Romae 1680. 4. quos ex
reliquis Bibliothecae IOA. CI-
AMPINI emtos, possidemus.
*** p. 228. f. 19.



„DEVS qui Regnis omnibus aeternis dominaris imperio, inclina ad
 „preces humilitatis nostrae aures misericordiae tuae: et ROMA-
 „NI REGNI adesto PRINCIPIBUS vt tua tranquillitate cle-
 „menter tua sint semper virtute victores, Per (D, N. I. C.)

Alia

„DEVS, qui sub tuae Maiestatis arbitrio omnium Regnorum con-
 „tines potestatem; ROMANI IMPERII propitiare PRINCI-
 „PIBUS; vt qui Tua expectant protectione defendi; omnibus
 „sint hostibus fortiores, Per etc.

„DEVS, qui providentia tua caelestia simul et terrena moderaris;
 „propitiare Romanis rebus et REGIBVS: vt omnis hostium for-
 „titudo, te pro nobis pugnante, frangatur. Per

„DEVS, cuius Regnum nulla saecula praeuenerunt; nulla conclau-
 „dant; supplicationes nostras clementer exaudi: et ROMANO-
 „RVM REGVM tibi subditum protege PRINCIPATVM: vt
 „in tua virtute fidentes, omnibus hostibus sint fortiores, Per

et similes aliae ibi legi possunt.

Obseruandum autem Romanum Imperatorem a Germanis ele-
 ctum ante Coronationem Romanam, Romae appellari quando-
 que *Regem Romanorum*, in Imp. electum. In *Litania Romana*
 Praeces pro Imperatore Romano conceptae leguntur his ver-
 bis: *Vt dominum IMPERATOREM et Exercitum Francorum con-*
seruare digneris, Te ROGAMVS, quae inserta est *Antiphonario*
ordinato a S. Gregorio M. Pontifice per Circulum Anni, ex quo
 cognoscere potuisset Reuerendus Pater ZENNERVS, haec
 praeces pro Imperatoribus suas Romae, non *Novitatem* fuisse
 ab *Hadriano I.* introductam. In alia *Litania Feria quarta an-*

te

* quam ex vetustissimo S. Grego-
 rii Magni Sacramentario MSC.
 Reginae Sueciae Christinae *An-*
tiquis Libris Missarum Romanae
Ecclesiae inseruit IOSEPHVS
 MARIA CARVS Presbyter Theo-

logus, Romae 1690. 4. p. 6. cuius
 exemplum a Censoribus Curiae
 Romanae in capite et sine sub-
 scriptionibus suis adprobatum in
 suppellectili literaria, custodimus.

B



te Ascensionem Domini cantari solitum: *Vt IMPERATOREM et Eius Exercitum Dominus conseruet.**

S. XII.

Ex hisce Ecclesiae Romanae monumentis, *Ordine* nempe Romano et *Sacramentariis*, *Litanis*, aliisque Libris ritualibus *Precationes* et *Vota* pro *Imperatore Romano*, in *Libros Missales* Ecclesiarum cumprimis *Italiae* et *Germaniae* profluxerunt, quorum quosdam inspeximus. In vnico, quem euoluere potuimus Italicis typis *Venetis* nempe *Missali Romano* nouiter vt scribitur impresso, ** in Introitu *Missae Papae* saltem fit mentio, et sic in aliis *Missis*, adiiiciuntur tamen in aliarum Ecclesiarum, qui pro *Imperatore* orant haec *** *Formulae*:

„*DEVS* regnorum omnium et *Christiani* maxime *Protektor* Imperii
 „*da seruo tuo IMPERATORI NOSTRO* triumphum virtutis
 „ *tuae scienter excolere, vt qui Tua constitutione est Princeps,*
 „ *tuo semper munere sit potens. Per*

„*DEVS*, qui ad praedicandum aeterni regis euangelium ROMANVM
 „*IMPERIVM* praeparasti: pretende famulo tuo IMPERATO-
 „*RI NOSTRO* arma caelestia: vt pax ecclesiarum nulla tur-
 „*betur tempestate bellorum. Per*

Simili ratione pro Rege Germaniae et Romanorum conceptae *Preces* et *Vota* extant.

In vetusto *Missali* libro, *MSCto*, vt videtur, *Thuringico*, quod possidemus, in *Introitu* *Preces* indicantur: pro *Ecclesia Catholica*, quam pacificare, custodire, adunare ac regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo *PAPA nostro*, *N. REGE NOSTRO*, *N. Antistite nostro* etc. Eadem legas in *Missali Codice* *Archi Ecclesiae Moguntinae* iussu *Bertholdi* emendato et splendide typis excuso, *** sub initium *Missae*, et sub rubrica: *PRO IMPERATORE.* Quae

* in *CARI* *Collezione* p. 121.
 ** *Venetis* mandato et expensis nobilis viri *LVCAE ANTONII* *de GIVNTA* *Florentini*, 1519. 4.
 *** p. 297. b
 **** maioribus literis in nobili *Ciuitate Maguntina* impressoriae artis

inuentrice climaticaeque prima per *Petrum Schoffer* de *Gernsheim* Anno *Dni* *Millesimo* *quadringentesimo nonagesimo* *tertio* *tertia die Aprilis* feliciter est *consummatum*, *Fol. imperiali*



Quae restant alio tempore aliaue occasione dabimus, nam ea sunt adiungenda, quae ad honestissimos natales, studia vitamque vsque huc praeclare laudabiliterque peractam, pertinent. Praenobilissimi Candidati verbis exposita sequentibus:

Ego EMANVEL BIERMANNVS natus sum in Ciuitate Imperiali Augusta Vindelicorum d. 23. Mart. A. C. 1734. Patrem natus sum IOHANNEM BIERMANNVM artis Pharmacopoeae peritum, qui vero mihi praematura morte est ereptus, matrem vero ANNAM ELISABETHAM ex stirpe BECKIANA progenitam. Optimis his parentibus nihil magis curae cordique fuit, quam vt doctrina sanctiore, iisque litteris, quibus puerilis aetas impertiri solet, erudirer. Traditus sum Gymnasio ANNAEANO quod Augustae floret, vbi inter caeteros praeceptores, quorum operam et industriam non sine fructu sum expertus M. GOTTOFRIDO HECKINGIO Redtore longe meritissimo vsus fui, vsque dum benignitate Administratorum Collegii Euangel. meritissimorumque Beneficiorum Alumni huius Collegii factus sum particeps. Beneficia tam Maecenatum, quam merita Neuhoferi, qui muneri Ephori praestitit, gratissima mente recolo et praedico, lubensque fateor me, Neuhoferi Viri et morum elegantia et litterarum eruditione conspicui multum debere. Ex quo vero, studiis philologicis absolutis, valedictoriam orationem de *fida Vlpri Traiani Imperatoris ex inferno in coelum liberatione*, in Collegio Annaeano habui, *Ienam* tanquam bonarum artium mercaturam Ao. 1754. Mens. April. sum profectus, ibique Prorectore Magnifico IOHANNE GOTTOFRIDO TYMPIO in album studiosorum relatus, Iurisprudentiae me consecraui. Haec autem studiorum meorum ratio fuit, vt in philosophicis et Iurisprudentiae elementis Viri Illustris et longe Celeberrimi DARIESI institutione vterer. Praelectionibus in Mathesin applicatam et Medicinam legalem a Viris Excellentissimis et Experientissimo SVCCOVIO et FASELIO institutis, interfui. Historiae Europae Vniuersali et S. Romano German, Imperii nec non Iuri publ. operam dedi sub ductu Excellentissimi et Celeberrimi IOACH. ERDMANNI SCHMIDII In ipsa Iurisprudentia audiuisse mihi gratulor Virum Illustrum ac Excellentissimum HELFEL-



DIUM, qui mihi Pandectas et Ius feudale explicuit, et frequentavi
insuper Scholas Celeberrimi EMMINGHAUSII nunc b. in Iure Ger-
manico et Celeberrimi SONNESCHMIDII in Iure Canonico et
Criminali. Cursum igitur quem Iuris vocant emensus leges ad li-
tes applicare, et relationes ex actis formare didici a Viro Excellen-
tissimo PAUL. WILHELMO SCHMIDIO, Patrono meo ad cineres
vsque colendo. His ergo studiis meis feliciter ad finem perductis,
in eo occupatus sum, vt summos in vtroque Iure honores, editis
more institutoque maiorum specimenibus, adipiscar. Quos si nan-
ciscor, Summum Numen felices faustosque esse iubeat.

Per autem libenter Ordo noster modestis Praestantissimi Can-
didati precibus annuit Eundemque ad consueta examina ad-
missum, talem inuenit, qualem statuta nostra desiderant, de-
cretoque per concordia vota facto, iam ad tertium publicum-
que dissertationis inauguralis specimen, **CONTROVERSI-
AS QVASDAM CIRCA RECESSVM EXECVTIONIS AO.
MDCXLIX. NORIBERGAE CONCLVSVM EXPONENS
EIVSQUE CONVENIENTIAM CVM IPSO INSTRVM. PA-
CIS WESTPHALICAE VINDICANS**, sub Praesidio hono-
ratissimi Collegae PAULLI WILHELMI SCHMIDII Icti, In-
stitutionum Iuris Professoris et Collegiorum Iuridicorum
Adfessoris grauissimi, exhibendum, paratus est. Dicta, quod
DEVS prosperare velit d. XXVIII. Octobris huic solemn-
i Actui, cui splendorem conciliabit Vestra Magnifice Domine
Rector, Illustrissimi S. R. I. Comites, Patres Senatus Academi-
ci venerandi, Omnium Ordinum Hospites honoratissimi
Commilitonumque Generosissimorum et Nobilissimorum
amabilis Corona. Conuenite itaque frequentes, obseruanter
et officiose vos rogo, Praestantissimumque Candidatum breui
et beneuola dignamini audientia. P. P. Sub Sigillo Facultatis
d. XXVII. Octobris A. S. MDCCLVIII.

(L.S.)


ULB Halle
006 669 409

3



NO 7P







1758, 1
110

FACULTATIS IVRIDICAE
PRODECANVS
CHRISTIANVS GOTTLIEB
B V D E R D.

Dr. Götter
De iurebus pro imperatore fuerit

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI
EMANVELIS BIERMANNI
AVGVSTANI

SOLENNIA INAUGVRALIA
INDICIT

AD DIEM XXVIII OCTOBRIS ANNI S, MDCCLVIII.
PAVCA PRAEFATVS

DE
PRECIBVS PRO IMPERATORE
F V S I S.

—————
I E N A E,
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

